

ordinari? Resp. Per *Titulum* in proposito intelligitur beneficium ecclesiasticum, vel aliud medium sese honeste sustentandi. Et vocatur a nonnullis *Titulus sustentationis*, a *Pontificali Romano* autem absolute *Titulus*. Cum enim non deceat, ut clerici, divinis officiis specialiter adscripti, cum ordinis dedecore mendicent, aut sordidum aliquem quæstum exercent; idcirco nemo ad sacros ordines admittendus est, nisi ejusmodi titulum, seu medium sese honeste alendi, possit ostendere: prout tum can. *Neminem*, et can. *Sanctorum*. dist. 70, tum in concilio Tridentino, sess. 21, cap. II, *de Reform.* expresse habetur.

70. *Titulus ad ordines minores non requiritur.* — Dicitur, « ad sacros ordines: » nam ad ordines minores non requiritur titulum, tenet communis doctorum, ac praxis Ecclesiæ. Ratio est: quia clerici in minoribus constituti, si se clericaliter sustentare nequeant, libere possunt nubere aliaque negotia sæcularia exercere. Et hinc concilium Trident., loc. cit. notanter prohibet solum, ne quis sine titulo « ad sacros ordines promoveatur. »

71. *Titulus est triplex I. Beneficii ecclesiastici.* — Resp. II. Ejusmodi titulus ad ordines sacros requisitus, triplex est, nimirum beneficium, patrimonium, et paupertatis. Ita *Pontificale Romanum*, tit. *de Ordinatione subdiaconi*, cum communi. Primus itaque titulus est beneficium ecclesiasticum, dum tale quis pacifice possidet. Et tale beneficium non potest aliquis postmodum resignare, nisi facta mentione, quod ad illius beneficium titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constituto, quod aliunde vivere commode possit: aliter autem facta resignatio, nulla est; prout decrevit concilium Trident. cit. cap. 2.

72. *II. Patrimonii; et an tale possit alienari?* — Secundus titulus est patrimonium, vel pensio. Ut tamen ad hunc quis ordinari possit, requiritur insuper, quod episcopus iudicet, talem pro utilitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem, et ad vitam sustentandam sufficiens esse, et vere ab ipso obtineri; ut statuit concilium Trident. loc. cit. illico subjungens, quod etiam tale patrimonium, vel pensio, posthac sine licentia episcopi alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus possit, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sufficiens statui sui sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum canonum pœnas super his innovando

73. *III. Paupertatis, seu professionis religiosæ.* — Tertius titulus est paupertatis, seu professionis religiosæ. Siquidem religiosi professi, utpote propter Christum omnia sua relinquentes, nihilque proprium in hoc mundo possidentes, ordinantur ad titulum paupertatis, juxta *Pontificale Romanum*, loc. cit. Etenim paupertas voluntaria, quam volunt religiosi, approbatam ab Ecclesia religionem profitentes, tenet vicem tituli beneficialis, cum ipsis monasterium de alimentis providere tenetur: imo et pro opibus computatur; nam bene custodita, præsertim altissima paupertas Fratrum Minorum, hæredes et reges regni cœlorum instituit, ut horum regula cap. VI, loquitur. Unde non mirum, quod concilium Trid. sess. 21, cap. II, *de Reform.* de hoc titulo paupertatis mentionem non fecerit, sed tractaverit solum de titulo clericorum sæcularium; ut patet ex illis verbis: « Statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, » etc.

74. *Nequeunt ordinari ad hunc titulum religiosi non professi, aut qui ad certum dumtaxat tempus sunt professi.* — Verumtamen beatus Pius V, in bulla *Contra male promotos*, edita, 4 octobris 1568, quæ incipit: *Romanus Pontifex* (ac refertur tom. II *Bullarii Romani*, constit. 75, dicti Pontificis) gravibus de causis dictum decretum concilii Trident. extendit ad omnes, et singulos cujuscumque ordinis clericos religiosos non professos (ut sunt novitii) seu sæculares, more religiosorum in communi viventes, qui nunquam, aut non nisi ad certum tempus, professionem emiserunt, et ex claustro exire possunt: unde hi omnes non possunt ordinari, nisi observata forma concilii Tridentini, sub pœnis in eadem bulla beati Pii V contentis. Atque hoc ipsum habere locum tam in non professis, quam in nulliter professis censuit Rota in *una Urgellen. canonicatus*, 3 martii, 1593, coram illust. Blanchetto, quam refert Nicol. Garcias, part. II, *de Beneficiis*. cap. V, n. 11, et post ipsum Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 19, n. 5, citans alios. Siquidem nulliter professus, revera non est professus; cum talis professio nullam inducat obligationem, nullumque juris effectum.

75. *Et quid de religiosis Societatis JESU?* — Speciale aliquid circa hoc habent religiosi Societatis JESU, ut post emissam, absoluto novitatus biennio, vota substantialia, etsi simplicia, possint ad sacros ordines, ipsumque presbyteratum promoveri, juxta bullam

Gregorii XIV. *Ecclesiæ catholicæ* § 16, et aliorum Pontificum concessionem. Verum, quia nonnunquam contingit jam ordinatos a Societate dimitti, hinc, ne tales in opprobrium ordinis clericali mendicare cogantur, tenentur prælati ejusdem societatis, taliter dimissis de honesto victu providere, donec sufficiens beneficium ecclesiasticum consequantur; prout declarasse Sixtum V refert Barbosa, cit. allegat. 19, n. 7.

76. *Quid censendum de titulo mensæ?* — Resp. III. Prædictis tribus titulis, juxta praxin, et antiquam consuetudinem Germaniæ, et quarundam aliarum regionum, addi potest titulus *Mensæ*, vi cujus vel princeps territorialis, vel civitas quædam, aut monasterium per litteras se obligat, præstandi in subsidium tali clerico necessaria alimenta, quando is præ infirmitate, vel decrepitate ætate, vel alio casu amplius se honeste sustentare nequiverit, ne alioquin in opprobrium ordinis clericali mendicare cogatur. Et hujusmodi titulus ex eo potissimum hinc in partibus usu invaluit; quia in parochiis, præsertim amplioribus, opus est pluribus clericis cooperantibus, nec beneficia adeo frequentia existunt, ad quæ iidem possent ordinari: unde horum defectum munificentia principum territorialium, seu aliarum communitatum, ex zelo propagandæ religionis christianæ, per concessionem tituli *Mensæ* supplere gestiebat. Verum de hoc titulo mensæ utpote consuetudine solum introducto, jura mentionem non faciunt: fusius tamen de ipso disserit Ludovic. Engel, in *Collegio juris canonici*, lib. I, tit. 14, *De Ætate et qual. præficiend.*, num. 14, et seqq. ubi varias quæstiones practicas circa titulum *Mensæ* erudite resolvit.

## § IV.

## DE SUBDITIS EPISCOPI QUOAD EFFECTUM ORDINATIONUM.

77. *Unusquisque a proprio episcopo est ordinandus.* — Quæritur I. An quisvis a proprio episcopo sit ordinandus, et quot modis quis censeatur subditus ejus? Resp. I. Certum est, quod unusquisque non nisi a proprio episcopo sit ordinandus, nullusque possit ordinare extraneum, nec etiam primam tonsuram huic conferre absque proprii superioris licentia. Textus est in can. 1, et seqq. dist. 72, et can. *Nullum Episcoporum*. 9, q. 2, et c. *Eos*

*qui*, 2, et c. *Episcopus*. 4, h. t. in 6, juncto concilio Tridentino, sess. 14, cap. II et III, *de Reform.* et sess. 23, cap. VIII, *de Reform.*, ubi sub gravibus pœnis infra declarandis, id fieri prohibetur. Et merito: tum, ut dissensiones evitentur, quæ suboriri possent inter episcopos, si unus alterius subditos, eodem ignorante, ac sæpius invito, ordinare præsumeret, can. 1, dist. 71. Tum, ut obvictur malitiis hominum, atque indigni et ignorantes ad sacros ordines non promoveantur, qui alioquin clericales ordines, quos a propriis episcopis forsitan sibi jam denegatos dolent, aut ex certis impedimentis canonicis sibi denegandos fore merito verentur; ab extraneis episcopis, nullamque de ipsorum defectibus notitiam habentibus, in animarum suarum perniciem, et ecclesiastici ordinis dedecus, recipere præsumerent.

78. *Subditus episcopi, quoad ordines recipiendos, quatuor modis quis censeatur, quibus? Natus in una diocesi, et in alia habens domicilium, vel beneficium, potest a quolibet earum episcopo ordinari.* — Resp. II. Quatuor modis censeatur quis subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos, videlicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficium, et ratione triennalis familiaritatis seu commensalitalis cum episcopo. Ita communis; et patet ex c. *Cum nullus*. 3, h. t. in 6, ubi priores tres modi comprehenduntur illis verbis: « Superior in hoc casu (scilicet quantum ad dandam licentiam recipiendi ordines ab alieno episcopo, et multo magis ipsos conferendi) intelligitur episcopus, de cujus diocesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus: seu in cujus diocesi beneficium obtinet ecclesiasticum: seu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in ea. » Et quia hic textus loquitur disjunctive, hinc ille, qui in una diocesi natus est, in altera fixit domicilium, et in tertia beneficium recepit, potest a quolibet earum episcopo ordinari. Nicol. Garcias, part. II, *de Beneficiis*, cap. IV, n. 2; Pirhing, h. t. n. 30, et alii, ac favet textus in L. I, C. *de Municip.* lib. X, ubi habens alium locum originis, alium incolatus, cogitur in utroque loco munera subire. Porro quartum modum, triennalis videlicet familiaritatis cum episcopo, addit concilium Trident. sess. 23, cap. IX, *de Reform.*

79. *An etiam uno horum electo possit quis variare, suscipiendo cæteros ordines ab alio?* — Verumtamen dictum illud, quod quis a quo-

libet illarum diocesium episcopo ordinari, procedit potissimum ante factam unius istorum episcoporum electionem, seu receptam ab ipso ordinationem. Nam quando aliquis fuit ordinatus ab uno praefatorum episcoporum, v. g. ab episcopo beneficii in subdiaconum ad titulum beneficii in ejus diocesi existentis, et personalem residentiam requirantis, vel ad titulum patrimonii pro utilitate vel necessitate Ecclesiae suae, juxta formam concilii Tridentini sess. 23, cap. xvi, de Reform. tunc talis, inconsulto illo priori episcopo, non potest ordinari v. g. in diaconum, vel presbyterum, ab alio episcopo, puta originis, vel domicilii. Barbosa, part. II, *Offic. et potest. episc.*, allegat. 4, n. 1, citans Archidiaconum, in c. *Ne captanda. de Concess. praebend.*; Achillem de Grassis ducis. 13, de Pensionib. et Molfesium in *Summa theol. moral.* tract. II, cap. II, n. 40; Aloys. Riccius in *Praxi Aurea fori ecclesiastici*, part. I, res. 273, n. 4; Piasecius in *Praxi episc.*, part. I, cap. 1, n. 4, ampliat 2; Diana, part. VIII, tract. II, resol. 10, allegans additionem ad *Summam Bullarii Quarantae*, § *Ordo vers. Circa tertium*. Rationem dant: tum quia variatio in Ecclesiasticis, puta in receptione ordinum, maxime est vitanda, Clem. un. *de Renunt.*; tum quia alioquin talis variata ordinatio fieret in praedictum prioris episcopi per primam ordinationem electi: utpote qui talem jam semel ordinavit, et quidem ad titulum beneficii, vel patrimonii, pro utilitate suae Ecclesiae; sicque in hunc finem ulterius investigare potest, et debet, constantem morum probitatem, atque idoneitatem ordinandi. Fatendum tamen, quod extra praedictum casum Diana, cit. part. VIII, tract. II, resol. 9, cum nonnullis aliis oppositum teneat. Concordat Zypæus, in *Consult. Canon.*, tit. *de Aetate et qualitate*, etc. consult. 3, vers. *Quod porro*; Læsius, h. t. n. 26, et Engel eod. n. 31. Quia (inquiunt) talis variatio in jure non reperitur prohibita; nam impraesentiarum variatio non contingit circa unum idemque subjectum, qualis prohibetur in cit. Clem. un. *de Renuntiat.*, sed respectu diversorum ordinum, quorum quilibet est irreiterabilis.

80. *Potest quis ordinari ab episcopo ratione beneficii, in ejus diocesi obtenti.* — Queritur II. An, et quibus concurrentibus possit quis ordinari ab episcopo, ratione beneficii ecclesiastici in ejus diocesi obtenti? Resp. I. Spectato jure communi potest quis ordinari ab

episcopo loci, in cujus diocesi beneficium obtinet ecclesiasticum. Ita communis; et patet ex d. c. *Cum nullus*, h. t. in 6.

81. *Dummodo istius possessionem habeat.* — Notanter dicitur, «Beneficium obtinet.» Quia ad hunc effectum non sufficit sola spes beneficii proxime obtinendi; imo nec sufficit sola collatio, seu titulus ipsius, sed requiritur vera possessio beneficii. Ad hoc enim, ut quis efficiatur de foro episcopi ratione beneficii, sicque ab ipso ordinari, vel litteras dimissorias obtinere valeat, requiritur beneficium cum effectu; sicque cum pacifica possessione ipsius, arg. c. *Licet Episcopus*, 28, de *Praebend.* in 6, et tradit Garcias, part. II, de *Beneficiis*, cap. IV, n. 17, et Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 4, num. 53, ac novissime declaravit Innocentius XII, in cit. Constitutione, *Speculatores domus Israel*, cujus verba n. 85 et 86, referuntur.

82. *Atque olim ad hoc sufficiebat beneficium modicum.* — Et loquendo de hujusmodi beneficio pacifice possessio, allatam doctrinam olim extenderunt plerique auctores ad beneficium etiam tenue; prout sensit Garcias, cit. cap. 4, num. 9, et Barbosa, ubi supra, num. 45 et 46, citans plurimos alios. Rationem dant, quia in d. c. *Cum nullus*, h. t. in 6, indistincte conceditur, quod quis ordinari valeat ab episcopo, vel de ejus licentia, in cujus diocesi beneficium obtinet ecclesiasticum; ergo sufficit quodcumque beneficium etiam tenue, cum jus certum valorem, et qualitatem ejus non exprimat. Sed neque obstare videtur concilium Trident. sess. 21, cap. II, de *Reform.* Quia ibi solum dicitur, quod nullus possit ordinari ad titulum beneficii, nisi illud sibi ad victum honeste sufficiat: non autem negatur, quin ratione tenuis beneficii possit ordinari ab episcopo illius loci, quando tamen adjungitur sufficiens patrimonium pro honesta sustentatione clerici. Verum his non obstantibus,

83. *Secus de facto, ob novissimam Constitutionem Innocentii XII: Speculatores domus Israel.* — Resp. II. Haec posterior doctrina, licet olim satis recepta, amplius sustineri nequit ob novissimam Constitutionem S. D. N. Innocentii XII, quae incipit, *Speculatores domus Israel*, die 4 novembris 1694, motu proprio emanata, atque (ut in fine ejusdem expresse cavetur) post publicationem Romae factam illico omnes, et singulos, quos concernit, arctantem. In hoc siquidem Motu proprio, post fusius recensitos abusus, et

fraudes circa ordinationem alienorum subditorum contingentes, atque inde consequentia mala, quibus pastorali sollicitudine Pontifex obviare satagit, plura quoad praemissos quatuor modos sortiendi forum episcopi ad effectum ordinum ab ipso recipiendorum declarantur, ac etiam de novo statuuntur.

84. *Quenam vi hujus Constitutionis requirantur, ut quis ordinari valeat ab episcopo ratione beneficii in ejus diocesi obtenti?* — Atque imprimis, quantum ad propositum, postquam ibidem Pontifex declarasset neminem posse ordinari ratione beneficii sibi primum conferendi, aut in quo post clericalem characterem susceptum immediate sit instituendus; sed dumtaxat, quando illud ab ordinando pacifice possidetur (per quod magis probantur dicta superius n. 81.) subjungit, ac de novo statuendo inter alia decernit, quod imposterum nemo ratione beneficii, in aliena diocesi obtenti, subjiciatur jurisdictioni illius episcopi quoad ordines suscipiendos, nisi beneficium ejusmodi ad congruam clerici sustentationem per se sufficiat; adeo, ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjectionem patrimonii.

85. *Verba ejusdem Constitutionis, quantum ad propositum referuntur.* — Verba praefati Motus proprii, quoad propositum, sic sonant. «Motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, totiusque christiani populi aedificationem, hac generali nostra, et perpetuo valitura Constitutione decernimus, et declaramus, nulli episcopo, seu cujusvis loci ordinario, tametsi cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii juxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum, ad clericalem tonsuram promovere cujusvis beneficii ecclesiastici ei statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit conferendi, seu ad quos is a patronis jam praesentatus, seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo ea expresse adjecta lege fundatum fuisse contiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea clericum, qui legitime jam a proprio episcopo ad eandem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio episcopo ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius diocesi

obtenti ad superiores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii episcopi tam originis, quam domicilii, super suis natalibus, aetate, moribus, et vita sibi concedi obtinuerit, easque episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit.

86. *Verba ejusdem Constitutionis, quantum ad propositum referuntur.* — Licet vero clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diocesi obtenti, subjici dicatur jurisdictioni illius episcopi, in cujus diocesi beneficium hujusmodi situm est: eam tamen de caetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis diocesi obtineret: ac episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus litteris, quam de redditu beneficii hujusmodi, expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debet. » Hactenus Pontifex.

87. *Potest quis ordinari ab episcopo loci ratione originis.* — Queritur III. An, et quando possit quis ordinari ab episcopo loci ratione originis? Resp. I. Certum est, quod ratione originis fiat quis subditus episcopi loci, in cujus diocesi natus est quoad effectum recipiendi ordines ab ipso, licet postmodum alibi beneficium, aut domicilium acceperit, dummodo caetera requisita concurrant. Patet hoc ex c. *Cum nullus*, 3, h. t. cujus verba n. 78, referuntur.

88. *Dummodo ibi non fuerit natus fortuito. Natus in mari, habet originem in domicilio patris.* — Resp. II. Ut quis ratione originis suae fiat subditus episcopi loci, ubi natus est, quoad effectum recipiendi ordines requiritur vel maxime, quod parentes ipsius tempore nativitatis suae ibidem domicilium habuerint: nam natus fortuito in loco, per quem mater transibat, aut ibi negotiorum causa, vel in fuga hostium ad tempus degebat, non potest dici ex eo oriundus, sed potius ex loco, ubi pater ejus tunc habebat domicilium, arg. I.